



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus VII. De Hæreticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

Etò promeritis, si hæ aut illa fidem complectentibus gratosè remittantur: & contrà à respuentibus rigorosè exigantur, Palao *Traff.* 4. *disp.* 2. *p.* 6. *n.* 5. & Gonzalez in *c. Sicut Judæi cit.* n. 9. Exempla; quia ex Hispania Judæi & Sarraceni exacti sunt, partim; quòd eorum conversatio perniciosà fidelibus, & machi-

nationes Principibus essent periculosæ; partim verò; quòd bellò justò superatè captique ad victoris arbitrium bonis exui & expelli potuerint, Palao *l. cit.* Ratio; quia ad fidem directè cogi sine injuria non possunt, nisi ab eo, qui ad id in ipsos obtinet jurisdictionem, ut rectè observant *cit.* Palao & Gonzalez *n.* 8.



TITVLVS VII.

De Hæreticis.

DE his latè DD. Itali, & maxime Hispani, apud quos viget Inquisitio in Hæreticam pravitatem. Ad hanc Rubricam attingere iuvabit ea, quæ usui fore videbuntur in Germania nostra, in qua, propter Pacem Religionis & fœdera publica cum Hæreticis inita, locum non habent omnia, quæ in eos Jure Ecclesiasticò sunt constituta.

ARTICVLVS I.

De Hæresis Natura.

SUMMARIUM.

1. Etymon & definitio Hæresis.
2. Hæreticus est, qui voluntariè in fide dubitat,
3. Eamve negat: nisi Cathœchumenus adhuc sit,
4. Aut id faciat ex ignorantia,
5. Etiam culpabilis & crassa;

6. Aut fidem, quam verbis negat, animò retineat.
7. Hæreticus est, qui veritatem sibi specialiter revelatam:
8. Non etiam, qui propositionem Theologicam negat.

Hæresis à verbo *aisēdu* idem, **1.** quod *Eligere* & *Seſtari* significante, ita nominatur; quòd novæ, & à communi Ecclesiæ & Spiritûs sancti sensu alienæ doctrinæ & opinionis electio, aut secta sit, *can. Hæresis* 29. *can. Hæreticus* 30. *Ec.* 24. *q.* 3. estque Voluntarius & pertinax error contra aliquam veritatem Fidei Christianæ in eo, qui hanc suscepit. Ita ad mentem S. Ecclesiæ Doctoris, Augustini contra *Fausum* & D. Thomæ 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. Albertinus ad hanc Rubricam in *6. q.* 1. *n.* 19. Farinacius *Prax. Criminal.* *q.* 178. *n.* 5. & Sanchez *Lib.* 2. *Moral.* *cap.* 7. *n.* 1. Ex qua ejus definitione Inferitur primò, Hæreticum esse non tantùm eum, qui aliquem Catholicæ Fidei articulum *absolutè* negat: sed eum **2.** etiam,

etiam, qui de aliquo dubius est positivè, pertinaciter affirmandò, eum non omnino certum, sed dubium esse, ut cum D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 5. q. 11. art. 1. Panormit. in c. 1. n. 1. & VV. aliis doceat Sylvester V. *Hæresis* 1. q. 3. Canus *Lib. 1. 2. de Loc. Theolog. cap. 8.* Suarez *de Fide, disp. 19. f. 4.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 7. n. 12.* & cæteri T. T. & ante eos Stephanus Papa, qui c. 1. cit. ad omnes Episcopos rescribens, *In fide dubius*, inquit, *infidelis est.* Idem desumitur ex Conciliis Lateranenibus sub Leone X. *Sess. 8.* & sub Innocentio III. celebratis, c. 1. de *Summa Trinitate* & Viennensi *Clement. 1. §. Porro, eadem Rubrica* relatis. Quorum hac de re sententia apertè tradita est à SS. Athanasio in *Symbolo*, ibi, *Nisi fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*, & Augustino *Enchirid. cap. 7. §. 19.* ubi ait, *salvâ fide non posse usurpari particulam Fortè in rebus Fidei; quia significat dubitationem.* His etiam Ecclesiæ PP. ac Doctores faciem prætulit S. Jacobus Apostolus Epistolæ suæ Catholicæ verbis, *In fide nihil hæsitans*, cap. 1. v. 6. Ratio perspicua est; quia Catholicæ Fidei dogma & fundamentalis articulus est, eam esse certam atque infallibilem; juxta illud Servatoris, *Verba mea non præteribunt*, Matth. cap. 24. v. 35. & Apostoli nos hortantis, *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus*, ad Hebræos cap. 6. v. 8. Unde eum, qui de aliquo Fidei articulo positivè & pertinaciter dubitat, contra aliquam Catholicæ fidei veritatem errare, est necesse.

3. Inferitur secundò, hæreticum contra coram Ecclesiâ non esse

Primò Catechumenum, pertinaciter tuentem errorem, in quem lapsus est ante Baptismum; quia ante hunc su-

ceptum non censetur Fidem completè suscepisse; & propterea Ecclesiastica jurisdictioni subiectus non est, secundùm Tridentini *Sess. 24. cap. 2. cit.* Suarez *disp. 19. f. 5. n. 6. §. 8.* & Sanchez n. 34. *Coram Ecclesiâ*, inquam, & ad contrahendas hæreticorum pœnas; quia, si Christianam fidem animò suscepisset, hæreticus esset coram Deo: licet ab Ecclesiâ talis non reputaretur, nec posset puniri, ut cum Suarez l. cit. Azor p. 1. *Instituit. Lib. 8. cap. 9. q. 3.* docent Farinacius cit. q. 178. n. 135.

Secundò, baptizatus qui, suum Ecclesiæ iudicio esse contrarium, ignorat, propter defectum voluntarii ac pertinaciam, ad hæresin requisitæ, can. *Dixit 31. junctâ Gloisâ V. Pertinaci, can. Qui in Ecclesiâ 33. Ec. 24. q. 3. c. Damnamus 2. V. In nullo junctâ Gloisâ & cit. Clement. 2. §. Porro, ibi, Qui asserere, defendere seu tenere pertinaciter presumpserit, de Summa Trinit.* Atque hoc verum est, quantumvis ignorantia sit vincibilis & crassa, cit. Azor cap. 8. q. 4. cap. 9. q. 8. Suarez f. 3. à n. 9. & Farinacius q. 179. à n. 29. Ratio est; quia errorem, sive falsam suam sententiam pertinaciter tueri dicitur is, qui universalis Ecclesiæ aliquid docentis ac definitis auctoritati voluntariè, hoc est, sciens ac prudens contradicit, suumque istius iudicio præfert, secundùm SS. Ecclesiæ DD. Augustini *Lib. 4. contra Donatistas cap. 16.* & Epistolâ 164. & Thomæ p. 1. q. 32. art. 4. dogma ab omnibus receptum: impossibile autem est, Ecclesiæ auctoritati voluntariè contradici ab eo, qui sensum & iudicium suum Ecclesiæ doctrinæ ac definitioni contrarium esse, etiam culpabiliter & crassè ignorat; cum talis habere valeat voluntatem, iudicium & sententiam suam deferendi: quandocunque cognoverit, id Ecclesiæ sensui ac definitioni ad-

tionem adversari, ut rectè observat Palao *Tract. 4. disp. 3. p. 2. n. 3.*

6. Tertio, qui fidem, quam in animò retinet, verbis aut etiam factis externis negat. Ratio est; quia talis revera non habet voluntarium sensum ac iudicium contrarium iudicio sensui Ecclesiæ, & per hanc propositæ Divinæ revelationi; eamque ob causâ hæreticis à Jure inflictas pœnas in foro Conscientiæ non contrahit, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 56. cit.* Sanchez *cap. 7. n. 8.* & Suarez *disp. 14. s. ult. n. 5.* licet in externo foro, præsumptione ex verbis ac factis seu signis externis ortâ, hæreticus reputetur ac puniatur, insuper habita allegatione iudicii & intentionis, Ecclesiæ sensui ac definitioni non repugnantis, ut aliis relatis observat Farinacius *q. cit. à n. 53.*

7. Quarto, eum, qui factæ sibi revelationi privatæ, v.g. de extremi iudicii die post certum annorum numerum futura, dissentiret, hæreticum fore quidam apud *cit. Sanchez n. 32.* negant eâ ducti ratione; quòd non habeat iudicium contrarium Fidei Ecclesiæ Universalis; cum ista, licet iudicium illud aliquando, non tamen certò aliquò & determinatò tempore doceat futurum. At verius *cit. Azor cap. 9. q. 4.* & Suarez *disp. 19. s. 5. n. 11.* eum coram Deo hæresis reum fore, docent; quòd Ecclesiâ, licet iudicium illud determinatò die vel anno futurum, nemini proponat, omnibus tamen proponat, credendum esse summæ primæque & infallibili veritati revelanti: cui Ecclesiæ propositioni contrarium & erroneum iudicium habet, qui fidem negat à Deo sibi factæ revelationi speciali ac privatæ. Sed, ut hoc verum sit, eò ipsò tamen; quòd ejusmodi revelatio alicui specialiter & privatim facta sit; ac proinde de iudicio ei contrarium non constet, ei non credens ut hæreticus haberi ac pu-

niri non potest: nisi privatæ revelationi divinæ à se credi, aut credendum, verbis aliòve signò externò negaret, ut verisimiliùs existimat Palao *Tract. 8. disp. 3. p. 2. n. 15.*

Quintò demum eum, qui negat 8. propositionem Theologicam, ex una naturaliter evidenti & altera à Deo revelata deductam, v.g. quòd Christus sit risibilis: si non neget, nec dubitet de Christi humanitate; quia hanc credens, & nihilominus Christum esse risibilem negans, vel solummodo negat naturaliter evidenti principii, quòd omnis homo sit risibilis, universalitatem: vel ob mentis hebetudinem non agnoscit evidentiam ac necessitatem illationis; quorum neutrum est objectum à Deo revelatum, Laiman. *Lib. 2. tract. 1. cap. 13. n. 7.* cum Corduba *Quodlib. Lib. 1. q. 17. §. 7. dub. 3. not. 3.* & *cit. Sanchez n. 33.* probè advertentibus, talem hòc ipsò; quòd in principio naturaliter evidenti non errare & evidentiam ac necessitatem illationis agnoscere iudicetur, in foro externo hæreticum præsumi.

ARTICULUS II.

De prohibita Lectione Librorum Hæreticorum.

SUMMARIUM.

9. Professio Fidei publica à Prelatis & aliis faciendâ.
10. Libri non edendi sine Consensu Ecclesiastico.
11. Editi ab hæreticis cum suis Auctoribus damnati.
12. Et lege prohibiti sunt:

M

13. Quæ-

13. *Quantumvis Auctorum Etknicorum,*
14. *Origenis & Tertulliani Opera sint permiffa.*
15. *Bullâ Cena excoimunicantur legentes Libros hæreticos:*
16. *Hos retinentes, imprimentes, defendentes,*
17. *Si eorum Auctores sint hæretici damnati,*
18. *Et libri contineant hæresin vel traquent de Religione.*
19. *Bulla illius censura non afficit legentem Hæretici epistolam,*
20. *Et librum de Religione non tractantem & unam tantum alterâve hæresin continentem.*
21. *Ab eadem censura excusat ignorantia, etiam crassa,*
22. *Et interventu Apostolica auctoritatis:*
23. *Non sola intentio librum confundendi.*
24. *De auscultante lectionem libri hæretici,*
25. *De Librorum prohibitorum Indice, & duplici classe illorum.*

9. **N**E Hæreses facile nascerentur, aut alicubi nata serperent latius & propagarentur, sanctionibus Ecclesiasticis complura salubriter decreta & constituta sunt. Et

Primò quidem; ut à personis, quarum magisteriò & exemplo, providentiâ & autoritate veræ & Evangelicæ Religionis cultus, Fidei Morumque doctrina in populo conservanda & promovenda ex officio est, infectionis periculum omne, quàm potest, procul removeretur, introducta est Fidei Orthodoxæ Professio publica: ad quam cum juramento, se in Ecclesiæ Romanæ Obedientia permanenturos, emittendam obligantur Con-

stitut. Pii IV. quæ incipit in junctum, & *lib. Novemb. 1564. publicata & supra Lib. 1. tit. 1. à n. 44. late explicata.*

Secundò; ne editis libris Fidei Morumque doctrina corrumpatur, Libri & scripturæ quæcunque, sine examine & approbatione Vicarii Papæ & S. Palatii Magistri in Urbe; extra hanc autem Ordinarii Diocesani aut alicujus ab eo deputati (ut in celeberrima nostra Universitate est Theologica Facultatis Decanus) & ubi Inquisitio viget, sine approbatione S. Officii Inquisitionis in Hæreticam pravitate, imprimendi dari prohibiti sunt sub pœna Imprimis amissionis & publicæ combustionis librorum impressorum; deinde multa pecuniaria, atque etiam annuæ suspensionis ab exercitio impressionis: & demum excommunicationis ipsò factò contrahendæ (non tamen reservatæ) à Concilio Lateranensi sub Leone X. *Sess. 10. & Indicis Libr. prohib. Regula 10.* quibus inflictæ pœnæ ad eos, qui libros de rebus sacris tractantes, & debitâ ejusmodi approbatione (atque insuper, si Libri Regularium sint, sine superioris sui licentia & recognitione) & nomine etiam Autoris carentes, vendunt, aut apud se retinent, extensæ sunt à S. Synodo Tridentina *Sess. 4. Decreto de Editione Librorum, Quæ de re latè Bonacina de Censuris disp. & q. 2. p. 16. à n. 1. & Barbosa de Off. & Potest. Episc. alleg. 90. à n. 5.*

Tertiò, cum ipsis hæresum Authoribus ac propagatoribus eorum Libri & scripturæ condemnantur, *c. Fraternitatis 4.* Unde

Dubium oritur, qua ratione ab ipsis editorum librorum lectio sit interdicta. Ratio dubitandi est; quia interdicta & illicita non est lectio librorum, editorum à Paganis ac Judæis, qui hæreticorum lucubrationibus non sunt meliores; imò e-

Imò etiam Origenis ac Tertulliani, quos in hærefes prolapsos, constat. Confirmatur; quia, sicut in his, sic etiam in illis continentur multa bona & utilia, quæ propter mala & inutilia non reiicienda, suadet *Reg. Utile 37. in 6.* & Apostolicum illud, *Omnia probate, quod bonum est tenete*, 1. *Thessal. cap. 5. v. 20.* sic enim Hæreticorum libros à se lectos, & bona inde excerpta, S. Hieronymus fatetur *Epistol. 152.*

12. Nihilominus, ejusmodi librorum lectionem ab Ecclesia graviter prohibitam, non solum ex *c. Fraternalitatis cit.* sed ex Conciliorum quoque Oecumenicorum Constantiensis *Sess. 8.* Lateranensis sub Leone X. *Sess. 10. cit.* Tridentini *Sess. 4. cit. decretis* & summorum Pontificum Gelasii & Leonis I. Gregorij IX. Innocentij & Alexandri IV. Pauli & Julij III. Pauli & Pij IV. Pij & Sixti V. aliorumque, à Farinacio *Prax. Criminal. q. 180. §. 1.* sparsim & à Gonzalez *in c. cit. n. 9.* allegatorum, eosque proscribentium, & sub excommunicationis aliisque pœnis prohibentium, Constitutionibus est exploratum. Ratio gravissima fuit; quod ejusmodi libri non solum editi sint in contumeliam Christi & Ecclesiæ, unica ejus & immaculatæ sponse; & propterea suppressione multò digniores, quàm famosi libelli in privati alicujus injuriam conscripti, 1. *Lex Cornelia 5. §. 9. ff. de Injuris & l. Unica C. de Famof. libell.* sed insuper falsa dogmata veris misceant, & pestilens virus salubribus doctrinis confutum propinent, in perniciem animarum & Christianæ Reipublicæ perturbationem; ut non immeritò, sicut Arrii scripta Concilii Niceni Patrum, teste Nicephoro *Histor. Eccles. Lib. 8. cap. 18.* Manichæorum libri S. Leonis Papæ, teste Prospero Aquitano *in Chronico anno 446.* & aliorum Hæreticorum libri aliorum

Conciliorum aut summorum Pontificum decretis flammis addicti, apud Gonzalez *in c. Fraternalitatis cit. n. 7.* sic Constitutionibus etiam Imperialibus eorum lectio interdicta: & ne Hæreticæ perversionis ulla vestigia existerent, ipsi libri perfectissimò interitu mancipari & concremari jussi sint, 1. *Decere 3. §. 1. C. de Summa Trinit. l. Quicumque 8. in fin. l. Ex Manichæo 16. §. fin. C. de Hæret. l. Eumomiane 34. in fine Cod. Theodos. eadem Rubric.*

13. Neque pro hujusmodi librorum lectione quidquam facit ratio dubitandi; quia Imprimis, sicut quinam morbi contagiosi sint, non omnium, sed Medicorum est explorare, sic ex libris, qui perniciosi sint, secundum Apostoli monitum probare, hoc est, examinare, eosque vel reicere vel approbare, eorum tantum est, qui, ut D. Hieronymus loquitur, rerum Divinarum veram scientiam habent, & quibus id ex officio incumbit; ut, qui ab his reiiciuntur, ab aliis tanquam virulenti ac noxii vitentur: non vocentur ad examen, ut salubriter monet Becanus *cit. cap. 15. q. 8. n. 12.* Dein utilia, si quæ hæreticorum libris inserta sunt, æquè faciliè & sine infectionis periculo legi possunt in libris Catholicorum: quibus bona à malis & salubria à noxiis secreta, jamque probata exhibentur. Demum; quia non est paritas cum libris Gentilium; quia hi non decipiunt sub specie Veritatis. Neque cum scriptis Origenis vel Tertulliani; quia istorum errores extincti jam sunt; ut nullum ab ipsis periculum ampliùs sit perversionis, Becanus *cit. q. 8. à n. 10. & Castro Lib. 2. de Hæret. punit. cap. 16.*

14. Quare non immeritò Bullæ Cœnæ *can. 1.* summi Pontificis absolutioni reservata est excommunicatio, quæ lata est in Christi Fideles, *Hæreticorum libros hæ-*

resin continentes & de Religione tractantes, sine auctoritate sedis Apostolica scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore. Quæ censura reservata ut incurratur, nihil interest, an legatur liber excusus typò vel manuscriptus: an ejus Autor aliquis ex RR. aut VV. ab Ecclesia, ante vel post libri editionem, damnatis hæreticis sit; cum, damnatò ob hæresin vel pro hæretico publicè habitò authore, ejus libri hæresin continentes vel de Religione tractantes damnati ceaseantur: nisi, ut Origenis & Tertulliani Opera, expressè permittantur, Glossa in c. Fraternalitatis cit. V. Celestinus, ubi Barboza à n. 2. & Purching ad hanc Rubr. n. 20.

16. Simili modò, ad censuram illam contrahendam non interest, an ejusmodi liber in propria vel aliena domo, suò vel alienò nomine, an addiscendæ vel propagandæ hæresis vel curiositatis, venditionis, compactionis aliavè simili causâ retineatur, Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 10. n. 52. & Laiman. Lib. 2. Tract. 1. cap. 15. n. 7.

Eandem excommunicationem etiam ratione impressionis, non solus typographus, per se vel alios typum ordinans, prelo subiciens, & ad ista cooperantes: sed is etiam, qui librum imprimendum tradit: & ratione defensionis non is tantùm, qui eum verbò vel scriptò tuetur aut commendat: sed is etiam incurrit, qui eum custodit vel occultat; ne ad Inquisitores perveniat, aut ab istius ministrorum manibus, ab incendio, aliòve interitu vindicat, cit. Sanchez à n. 7. & Laiman, n. 7. cit.

17. Ad censuram tamen illam libri hæretici lectione, retentione &c. incurrendam can. 1. cit. quatuor conditiones e-

xiguntur. Prima est; ut liber sit alicujus Hæretici. Unde can. cit. excommunicationem non incurrit, qui legit, retinet &c. librum alicujus Pagani, continentem errores contrarios Orthodoxæ Fidei veritati; quia ejus author per Baptismi januam Ecclesiam non ingressus; ac proinde hæreticus non est: neque etiam, cui, à se edito, aliquas doctrinas hæreticas Catholicus scriptor per imprudentiam inseruisset; quia etiam talis liber Authoris hæretici non est, Navarrus Manual. cap. 27. n. 56. Azor p. 1. Institut. Lib. 8. cap. 16. q. 2. cit. Sanchez à n. 22. & Laiman. n. 2.

18. Secunda; ut liber contineat hæresin, sive errorem contrarium Fidei veritati, vel tractet de Religione, interpretandò sacram Scripturam, decidendò controversas Fidei Morumque & alias Theologicas quæstiones, de cultu Dei ac Sanctorum, de Ecclesiæ Sacramentis, de Clericorum & Religiosorum statu disputandò. Ex cujus conditionis defectu can. 1. cit. excommunicationem non incurrunr legentes, retinentes &c. Imprimis hæreticorum libros Juridicos, Medicos, Philosophicos, Mathematicos, Politicos, Historicos, Grammaticos, hæresin aliquam non continentes, Suarez de Censur. disp. 21. s. 2. n. 10. cit. Sanchez n. 32. Laiman. n. 3. & Purching n. 20. Deinde libros, Græcorum, Ruthenorum, Armenorum ritus continentes; quia isti ab Ecclesia pro hæreticis non habentur, cit. Azor q. 8. & Sanchez n. 27. Demum libros alicujus Catholicici, imò etiam infidelis, Magicæ artis secreta & præcepta continentes, cit. Navarrus n. 55. & Sanchez n. 32. Ubi

19. Dubium primò est de lectione, retentione &c. Epistolæ alicujus Hæretici, continentis hæresin, vel de Religione tractantis. Quam etiam excommunicationi can.

tioni *can. 1. cit.* reservata obnoxiam esse, cum nonnullis aliis existimat Farinacius *Prax. Criminal. q. 180. n. 31.* & suadet ratio; quòd eadem ratio sit epistolæ, quæ libri: & perversionis periculum asserre non minùs illa valeat ac soleat, quàm iste; & propterea Bulla Cœnæ Libri nomine Epistolam comprehendat; cùm ista pars saltem modica esse queat libri: cujus partem minimam v.g. proœmium, epistolam ad lectorem, syllabum capitum vel indicem legens excommunicationem incurrit. Contrarium tamen, & censuram hanc solius epistolæ, imò concionis & alterius scripti, Tractatus formam non referentis, lectione verisimiliùs non incurri, cum *cit. Sanchez n. 29.* sustinent Laiman *cit. cap. 15. num. 3.* Bonacina *disp. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 18.* & Palao *Tract. 4. disp. 2. p. 10. §. 1. n. 5.* Ratio est; quia Libri nomine, propriè & secundum communem loquendi usum acceptò, non venit epistola vel concio paucorum foliorum: neque de illo concepta pœnalis atque odiosa dispositio ad istas patitur extensionem, ob solam rationis paritatem: ut taceam; quòd paritas ipsa non subsistat; cùm libri maneant diutiùs, latius evulgentur, majorisque sint autoritatis, quàm epistola & similes scripturæ non redactæ in Tractatum: quæ, licet præfationis instar esse possint, actu tamen pars libri non sunt.

20. Dubium est secundò de hæreticorum libris, ex instituto non agentibus de Religione, pauca tamen aliqua, vel unum alterumve tantum dogma heterodoxum incidenter & obiter referentibus vel probantibus; quorum etiam lectione excommunicationem incurri, asserentium sensus consentaneus est tenori Bullæ, hæreticorum librorum non solum tractantium de Religione, sed hæresin quoque continentium lectionem sub censura illa vetan-

tis. Unde, istius rigore spectatò, censura omnino afficit lectionem libri ejusmodi Authoris, cui una alterave propositio hæretica est inserta, Palao *cit. §. n. 7.* cum *cit. Suarez §. 2. n. 10.* & Sanchez *n. 35.* qui tamen *n. 36.* rectè observat casu, quòd plurius ejusmodi authoris voluminum unduntaxat plures Fidei errores inserti essent, cætera ejus volumina, argumentum prophanum sine hæresis admixtione pertractantia, sub censura illa interdicta non esse, quòd, cùm ejus volumina sint libri omnino diversi, unius vitium alterum non inficiat, *arg. Reg. Utile 37. in 6.* Addit Laiman *n. 4.* Germaniæ nostræ usu Bullæ *cit.* rigori hac in re non parùm derogatum; cùm in pluribus ejus provinciis sine censuræ metu à viris timoratis & doctis legi & in bibliothecis adservari soleant Authorum hæreticorum Opera, argumentum prophanum pertractantia, licet errores aliquos habeant insertos: dummodo hi non sint frequentes, aut, ut Schleidani, Reinkingii & aliorum ejus farinae Authorum heterodoxorum Juridici, Historici, Politici libri, Ecclesiæ Catholicæ odiò, istiusque contemptu, vel Ecclesiastici aut Regularis status convellendi studio non sint vulgati.

Tertia conditio est; ut prohibitus, hæretici liber legatur &c. scienter; quantumvis enim à Bullæ *cit.* censura non excusetur, qui eum solo visu ad verborum, ore non prolatorum, sensum attendendò percurrit; quòd ad veram lectionem verborum prolacione opus non sit, *arg. l. Tabularum 2. §. 5. ff. Quemad. test. aper.* illam tamen non incurunt, qui librum esse hæretici, vel hæresin continere, aut de Religione tractare ignorant, ignorantia etiam crassa & supina; licet enim hujusmodi ignorantia Juris, delicto censuram annectentis, delinquentem non excuset, *c. fin. de Constitut. in 6.* excusat tamen, quan-

men, quando ad eam contrahendam scientia desideratur, ut cum Imola in *Clement. Unic. de Consang. n. 4.* Sylvestro *V. Ignorantia, q. 8. d. 4.* Covarruvia in *c. Alma p. 1. §. 10. n. 17.* & aliis tradit Sanchez *Lib. 9. de Magrim. disp. 32. n. 39.* Bullâ autem *can. 1. cit.* disertè scientia exigitur; ut libri lectioe &c. excommunicatio contrahatur, *citr. Laiman n. 4.* & Sanchez *cap. 10. n. 38.* rectè excipiens casum, quò ignorantia esset ad eò crassa, ut temeritas censeri possit; cum tali enim ignorantia librum hæreticum legens censurâ illi obnoxius foret, per ea, quæ idem tradit *disp. cit. n. 39.*

22. Quarta; ut legatur, retineatur &c. sine autoritate sedis Apostolicæ; cùm, qui ab ista immediatè aut mediatè, sive ab aliquo, libros hæreticos legendi facultatem concedendi potestatem à Sede illa obtinente, acceptâ facultate illos legit, à censura & peccato utique sic immunis. Ubi
23. Dubium est de eo, qui sine tali facultate libros hæreticos legit animò eorum errores confutandi: quem ab excommunicatione absolvent Decianus *Tract. Criminal. Lib. 5. cap. 46. d. n. 26.* & Mascard. *de Probat. conclus. 362. n. 14.* quòd, cùm talis lectio vel retentio hæreticos odiò fiat, vacet culpâ; ac proinde pœnæ alicui obnoxia non sit. Sed contra tenorem Bullæ, ejusmodi librorum retentionem ac lectionem *Ex quavis causa & quovis ingenio vel colore*, sub censura illa vetantis. Unde meliùs, talem à censura illa non excusant *citr. Suarez f. 2. n. 21. Sanchez n. 57. & Farinacius n. 39.* Ratio est; quia Bullâ *cit.* propòsita prohibitiò & pœnæ nituntur generali periculò multorum pervertendorum, quod libros hæreticos, ex quacunque causa & quocunque studii prætextu, legendi retinendique libera facultas affert. Quod periculum cùm non cesseret, quantumvis

personæ alicui particulari ex illorum lectione retentioneque nihil sit timendum, prohibitione & pœnâ illâ tenebitur, qui ex quocunque etiam bono fine ejusmodi libros sine licentia Apostolica legit vel retinet, per tradita *Lib. 1. Tit. 2. n. 89.*

Dubium secundo est, an excommunicatio incurratur hæreticæ lectionis auscultatione. Affirmat id Suarez *cit. f. 2. n. 9.* & negat *citr. Sanchez n. 48.* præ quorum utriusque resolutione generali arri-det distinctio, quam tradit Azor *cit. cap. 16. q. 4.* & amplectitur *citr. Laiman n. 6.* censuræ illi quidem, cum lectore ea, quæ prælegit, intelligente, ex auscultantibus subjicientes eum, qui alteri v.g. famulo librum sibi prælegendum tradit: non alios, qui vel lectionem à quopiam suâ sponte, vel jussu, aut suasionem legentem, captamolummodo audiunt: vel, qui librum tradunt, eumque non sibi, sed aliis prælegi mandant aut suadent: saltem, si mandatò vel jussu suò hæresi favorem non præstent. Ratio prioris est; quia librum sibi prælegi jubens in æstimatione morali eum per alium sive alienò ministeriò legere censetur; cùm, *Qui facit per alium, perinde sit, ac si faciat per seipsum* Regula est *72. in 6.* Accedit; quòd, si hujusmodi auscultatio à censura illa esset immunis, facilè evitaretur in fraudem Canonis, qui, & per eum à Conditoris intentus finis, hac ratione frustraretur. Posterioris; quia ab alio suâ sponte, jussive aut suasionem alienâ lectum audiens eum ipse legere moraliter non censetur: sicut, seclusò favore, nec is, qui eum quidem aliis prælegi mandat vel consulit, sed lectionem ipse non audit; cùm libri lecti hæreses, nec visu, nec auditu mediante, assequatur.

Bullæ Cœnæ accessit librorum prohibitorum Index ex decreto S. Synodi Tridentinæ, & post hæc Pii IV, Sixti V. & Clemæ-

Clementis VIII. summorum Pontificum iussu editus, & divisus in duas Classes, Prima continet Authorem hæreticorum, & de hæresi publicè suspectorum libros, continentes hæresim vel de Religione tractantes: qui, uti & Hæresiarcharum sive alicujus hæresios inventorum aut capitum seu ducum ipsorum hæreticorum, libri profus omnes, cujuscunque nominis, tituli, argumenti sint, sub excommunicatione reservata prohibiti sunt. In altera verò Classe referuntur Imprimis libri, qui doctrinam non sanam, suspectam vel moribus fidelium repugnantem continere judicantur, licet eorum authores Catholici sint: quorum lectio sub eadem, licet non reservata, censura est interdicta. Deinde libri, res obscenas seu lascivas expresso tractantes: qui, saltem si editi sint à fidelibus, uti & scripta seu libri artem Magicam tradentes reprobantur, eorumque lectio severa, sed arbitraria Episcoporum coercitioni subiecta est *Constitut.* Pii IV. quæ incipit *Dominici*, 24. Martii 1564. & *Constitut.* Alexandri VII. quæ incipit *Specularores*, 5. Marij 1664. publicatis, Laiman *cit. cap. 10. n. 8.* ubi Indicem illum, quoad secundam Classem, in Germania nostræ provinciis ulu non esse receptum, animadvertit.

ARTICULUS III.

De Concionibus & de Fide Disputationibus Laicorum.

SUMMARIUM.

26. *Occulta conventicula in locis de Hæresi suspectis.*
27. *Et laicis Verbi Divini Prædicatio.*

28. *Cum omni disputatione de Fide interdicta est.*
29. *Etiamsi isti sint docti.*

Quartò, ne erroribus clam disseminatis, fidelis Populi ab Orthodoxæ Fidei veritate abducendū esset periculum, prohibita sunt occulta conventicula, præsertim in locis hæresi infectis, de eæ suspectis, c. *Cum ex injuncto 12. & c. Excommunicamus 13. §. fin.* quæ Jure etiam Imperiali erant interdicta, l. *Denuntiamus 5. C. de His, qui confug. ad Eccl. adeo; ut ædes, in quibus clandestinæ coitiones, earum domino consentiente, celebrarentur, publicæ fisco addicerentur, l. Conventicula 13. C. de Episc. & cleric.* Ratio tam severæ prohibitionis erat; quòd hujusmodi coitiones in Republica semper suspectæ: & sicut amicæ opportunaque operibus tenebrarum, ita Catholicæ Fidei & Evangelicæ veritatis luci plerumque inimicæ, atque infestæ consueverint esse, *Martha de Jurisdic. p. 2. cap. 23. n. 12. & 18.*

Quintò, laicis interdicta est Verbi Divini Prædicatio, *can. Mulieres 28. dist. 23. c. Cum ex injuncto cit. & c. Excommunicamus 13. §. Quia verò.* Qua in re summi Ecclesiæ Antistites præ oculis habuere exemplum Christi, Verbum Divinum docendi & prædicandi munus solis discipulis, ac præcipuè Apostolis, ad id specialiter vocatis & electis, committentis, *Matth. cap. 28. v. 19. Marci cap. 16. v. 15. & Actor. cap. 13. v. 2.* ubi Spiritus sancti iussu Saulus & Barnabas à cæteris segregati, & per impositionem manuum ad annuntiandum Verbum Dei ordinati sunt. Ipsi quoque Apostoli & præcipuè S. Gentium Doctor Episcopos ac Presbyteros idoneos ad docendum ordinârunt, ac ordinari præceperunt *Actor. cap. 20. v. 28. & ad Titum cap. 1. v. 9.* Quin clericis etiam,

ci etiam, qui Prædicationis officium, præter autoritatem à sede Apostolica, vel locorum Ordinariis acceptam, publicè aut privatim usurpare præsumperint, excommunicari iubentur §. *Quia verò cit. Barbosa ibi n. 40. & Gonzalez in c. Cùm ex injuncto cit. à n. 6.*

28. Sextò, iidem laici publicè ac privatim de Catholicæ Fidei mysteriis disputare, sub excommunicationis per sententiam infligendæ poena prohibentur, *c. cit. & c. Quicumque 2. §. Inhibemus, in 6. junctâ Glossâ V. Innotetur;* quòd, eòdè ut plurimum sine indocti, ad disputandum de Mysteriis Fidei insufficientes esse, Jure præsumantur, ut advertit Becanus de Fide *cap. 15. q. 7. n. 4.*

Eandem disputationem etiam clericis illicitam, desumitur ex *l. Nemo 4. C. de Summa Trinit.* Sed, ut taceã, quòd *l. cit.* à sacris Canonibus non sit approbata: &, hòc ipsò; quòd de rebus spiritualibus disponat, sine eorum approbatione clericos obligare non valeat, *c. Ecclesia 10. de Constit. & c. fm. de Reb. Eccles. alien.* Ut, inquam, hoc taceam, *l. cit.* ea duntaxat disputatio inhibetur, quâ dogmata Fidei in dubium revocantur, & quæ corâ rudi plebecula fit cum periculo pervertionis, ut eam exaudiunt S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 7. & Suarez de Fide *disp. 20. f. 1.* apud Barbosam *in l. cit. n. 2. & Gonzalez in c. Cùm ex injuncto cit. n. 8.*

29. Dubium hòc locò aliqui movent, an disputatio illicita etiam sit laicis doctis. Negat id Cajetanus 2. 2. q. 10. art. 7. d. 1. quòd docti laici ad confundendos hæreticorum errores non minùs idonei sint, quàm clerici.

At verò, eam quibuscunque & doctis etiam laicis Jure interdictam, cum Glossa *in §. Inhibemus cit. V. Tener, Franco ibid. n. 1. & Sylvestro, V. Disputatio n. 1. Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 6. n. 5.* docet Fa-

riac. *Prax. Criminal. q. 178. n. 112.* Ratio est; quia leges feruntur de iis, quæ communiter accidunt, *l. Nam ad ea 14. ff. de LL.* ideòque de Catholicæ Fidei mysteriis disputatio laicis generaliter & indistinctè prohibetur; cum propter defectum ad eam requisitæ notitiæ rerum Fidei & Scripturarum, quò laborare ex eo, quòd frequentius accidit, præsumuntur: tum verò; ne fortè de, iis disputante laico docto, idem faciendi ansam accipiant rudes & indocti.

Quantumvis autem hoc ita sit, in Germania tamen nostra aliisque locis, in quibus Hæretici Catholicis permixti degunt, Juri huic derogatum, & laicis, saltem doctis, disputationes cum Hæreticis non illicitas, multò minùs excommunicationis, etiam per sententiam infligendæ, poenæ obnoxias esse, cum *cit. Sanchez n. 7. docent Becanus cit. q. 7. n. 6. & Paolo Traët. 4. disp. 2. p. 4. n. 8.*

ARTICULUS IV.

De Judice criminis Hæreseos.

SUMMARIUM.

30. *Episcoporum est diaceses purgare ab hæresi,*
 31. *Et ipsâ insectos compellere ad abjuratorem.*
 32. *Institutio Inquisitorum in Hæreticam pravitatem;*
 33. *Quorum jurisdictio delegata.*
 34. *Ordinaria tamen valde propinqua est.*
 35. *Inquisitores & Episcopi seorsim, vel simul de hæresi cognoscere possunt.*

36. *Laic-*

36. *Laius eju iudex competens non est:*
 37. *Etiamsi questio sit facti.*
 38. *Hæreticos tamen sibi traditos punire tenetur,*
 39. *Et in eos pœnæ statuere potest.*

30. **S**eptimò; ne hæresum zizania disseminentur, aut radices agant, Prælatorum Ecclesiasticorum vigilantia excitata, & provinciarum ac dioecesium suarum frequens, & annua saltem, visitatio Archi- & Episcopis in Virtute Obedientiæ, & sub pœnæ depositionis comminatione injuncta est, *e. Excommunicamus 13. §. Adjicimus, & §. fin.* ubi tamen illam obire permittuntur per Archidiaconos aut alias honestas idoneasque personas; quæ, si quos hæresi infectos de eâve suspectos inveniant, deferant ad suum Antistitem; ut coram eo hæresin abjurent, de eâve se purgent, aut subeant pœnas hæreticorum. Unde

31. Dubium oritur, an ergo hæretici jure cogi valeant ad erroneorum dogmatum abjuratorem. Dubitandi rationem suggerit paritas cum Judæis ac Paganis: quos ad ejusmodi abjuratorem, ad susceptionem Baptismi & Christianæ Fidei professionem vi compelli, canonum Ecclesiasticorum conditores veterunt, *can. Qui sincera 3. can. De Judæis §. dist. 45. & c. Sicut Judæi 9. de Judæis, ut ad Rubricam hanc dictum à n. 19.*

Verùm, sicut his Judæorum & Paganorum rejecta, ita hæreticorum coactio §. *Adjicimus cit.* aliisque textibus præfenti Rubricæ subjectis recepta est, & Ecclesiæ antiquissimò, atque à S. Augustino *Epistola 48. contra Donatistas* vindicatò usu confirmata. Ratio est; quia Hæretici ipsâ Baptismi susceptione Orthodoxam amplexi fidem & Ecclesiâ ingressi istiusque jurisdictioni subjecti sunt,

e. Majores 3. §. fin. de Baptismo & Trident. Sess. 14. cap. 2. à qua proinde si deficiant, ad pristinam fidem & obedientiam compelli non minùs possunt, quàm subditi rebelles ac transfugæ à Principe seculari. Quæ ratio, sicut non afficit Paganos ac Judæos, sic militat adversus omnes, qui Baptismi lavacrò etiam in infantia vel metu sunt abluti, §. *fin. cit. c. Contra Christianos 13. hâc Rubr. in 6. & can. De Judæis cit.* quò locò sic baptizati ad retinendam fidem cogendi aseruntur; ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, contemptibilis ac vilis habeatur.

32. Octavò, cum Archi- & Episcopi excludendæ extirpandæque hæresi, sub Religionis ac pietatis specie passim se insinuanti & latè diffusenti, vel non sufficere, vel, ut rei gravitas posebat, non superesse, viderentur: & lues illa Galliam, & huic finitimum Pedemontium atque Lombardiam corripuisset, sub sæculi à Christi Incarnatione decimi tertii initium ab Innocentio III. Arnaldus Abbas Cisterciensis & alii ejusdem Ordinis ac Reformationis Abbates, rerum sacrarum scientiâ, Virtute, Divinæque gloriæ & animarum zelò præstantes, ad Albigenium errores disputationibus & concionibus confutandos destinati sunt, Baron. *ad Annum Christi 1208. & Gonzalez in c. Ad inquisitionem 26. de Elect. n. 2.*

Sub idem tempus, cum hæreticorum perfidia pertinaciæque in dies invalesceret, S. Dominicus, Religiosissimi Prædicatorum Ordinis Fundator, apud eundem summum Pontificem precibus insistit, & impetravit; ut institutò processu Judiciariò in eos, qui de hæresi essent convicti, severissimæ coërcitionis pœnis animadverteteretur. Unde initium duxit S. Officium Inquisitionis in Hæreticam pravitatem: & Generalis in hanc Inquisitor primus ipse

mus ipse S. Dominicus, & post eum alii ejusdem sanctissimæ FF. Prædicatorum familiæ alumni, atque hos inter etiam S. Petrus M. constituti, iisque subordinati sunt Inquisitores inferiores ac Locales: qui in provinciis ac diocæsiibus particularibus ad Inquisitionis munus deputati, & hodie omnes subiecti sunt S. Congreg. Eminentiſſ. Cardinalium, pro S. Officii Inquisitionis in toto Orbe exercendæ meliori regionis & autoritativâ directione erectæ à Paulo III. Constitutione, quæ incipit *Licet ab initio* 12. Calend. Augusti 1542. publicatâ, Molina *Tract. 5. de J. & J. disp. 28. an. 5.* & Card. de Luca *Relat. Curia Rom. discursu 14. à n. 2.* Unde

33. Dubium oritur, an Inquisitores sint judices Ordinarii vel delegati. Ordinarios esse, affirmat Archidiacon. in *c. Ne aliqui* 10. in 6. Hostiens. in *c. Ad abolendam* 9. n. 2. Joan. Andr. in *c. cit. n. 3.* & suadet ratio; quòd non solum Generalis sive supremus, sed inferiores quoque & Locales Inquisitores, in sua quisque provincia seu districtu, habeant jurisdictionem ad negotiorum seu causarum, Fidem & Hæresin concernentium, Universitatem à sede Apostolica sibi concessam per modum officii seu publici Magistratus; cum officium habere, disertè asserantur *c. Ut officium* 11. *c. Ut commissi* 12. in 6. jurisdictionem autem concessam per modum officii, seu competens ratione muneris & magistratus, quem quis gerit, ordinaria sit, non delegata, per textum & Glossam *l. More 5. V. Suo jure, ff. de Jurisdic. Accedit;* quòd, sicut Episcoporum & aliorum Prælatorum Ordinariorum, sic etiam Inquisitorum jurisdictionem à Jure seu Canone descendat: ea autem, quæ descendit à Jure, ordinaria sit, *arg. l. Et quia 6. ff. eadem Rubr.*

Verius tamen, Inquisitorum jurisdictionem esse delegatam, cum Franco in

c. Ne aliqui cit. n. 1. Decio in c. Casam 16. de Offic. deleg. n. 10. & Sylvestro V. Hæresis 2. q. 1. n. 2. defendunt Molina *Tract. 5. de J. & J. disp. 28. n. 4.* duo Barbosa, Petrus in *l. Cum Prator 12. §. 1. ff. de Judic. n. 44. & 51.* Augustin. in *c. Per hoc 17. hanc Rubr. in 6. n. 4. & Del Bene p. 2. de Officio S. Inquis. dub. 195. f. 2. n. 5.* Ratio est, quia Inquisitores eam, quam habent, jurisdictionem non propriam, sed alienam nomine & Autoritate Apostolicâ exercerent, ut patet *ex c. Ne aliqui cit. c. Ut officium cit.* Verbis, *Ut officium inquisitionis contra hæreticos auctoritate Apostolica possit efficacius adimplere:* jurisdictionem autem, quæ non propriam, sed alienam nomine & auctoritate exercetur, delegatam esse, exploratum est, *l. 1. §. 1. Et si Prator 3. ff. de eo, cui mandata est.*

Neque eam Ordinariam esse, persuadet ratio in contrarium allata, quia Inquisitores contra hæreticos in causis Fidei principaliter non officii, sed specialis commissionis ratione: & non suâ, sed Apostolicâ auctoritate procedunt, *c. Ut officium cit. Barbosa in c. Per hoc cit. n. 6.* Negari tamen non potest, ipsorum jurisdictionem, licet delegata sit, cum ordinaria multa communia habere; cum non solum adhæreat officio, & ad causarum Fidei Universitatem, plures ac diversas causas continentem, concessa, sed perpetua quoque sit, & Papæ delegantis morte, re etiam integrâ & quoad negotia nondum cæpta, non expiret, *c. Ne aliqui cit.* atque insuper subdelegandò aliis committi possit, *citt. Molina n. 4. §. Illa, Del Bene f. 2. n. 7. f. 3. n. 4. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 131.*

Porro Inquisitores in causarum Hæreseos, & cum ista connexarum atque incidentium, cognitione procedere vel conjunctim cum Episcopis vel Capitulis, tanquam iudicibus Ordinariis, vel separatim possunt, 35.

possunt, *c. Per hoc cit. Clement. 1. §. Propter, §. Sanè, & Extravag. 1. inter communes*, ita tamen; ut, si Inquisitores vel Episcopi seorsim procedant, reum quidem hæreticos accusatum, & de ea non convictum valeant absolvere, §. *Propter cit. ubi Glossa V. Contra eos, & Clarus §. Hæresis, n. 5.* ad sententiam tamen alicujus condemnatoriam procedere, nisi processu Episcopis communicato, Inquisitores, neque Episcopi aliter, quam processu Inquisitoribus communicato, non possint; & si discordes sint, Papam consulere, vel causam cum summaria informatione ad eum omnino remittere debeant, *c. Per hoc cit. Barbosa in c. cit. n. 15. & Farinac. Prax. Criminal. q. 186. n. 64.* quod etiam facere tenetur Inquisitor, cum Episcopus & iste, cum Inquisitor; & uterque, cum Sedis Apostolicæ legatus, vel alius ejus officialis hæreticæ pravitatis insimulatur, per text. *c. Inquisitores 16. in 6. Extravag. 3. inter com. & Trident. Sess. 24. cap. 5. de Reformat. Decianus Tract. Criminal. Lib. 5. cap. 21. n. 5. Molina cit. Tract. 5. disp. 20. à n. 19. Farinac. q. cit. à n. 113. & 124. & Palao Tract. 4. disp. 8. p. 12. §. 2. à n. 6.* totum Inquisitionis Processum accuratè & latè pertrahentes.

36. Dubium hòc locò est, an de crimine hæresis cognoscere nequeat Judex Secularis. Possè, desumitur *ex l. 1. §. fin. C. de Summa Trinit. & l. Quicumque 8. §. fin. C. de Hæres.* At, licet hunc id quondam, cum hæresis insimulatus fuit laicus, potuisse, concedatur cum Deciano *cit. Lib. 5. cap. 25. n. 8.* hodie tamen de Hæreticos crimine, sive principaliter sive incidenter in judicium deducatur, sive Juris sive Facti quæstio sit, ejus cognitionem Fori merè Ecclesiastici esse, cum Glossa *in c. Ut Inquisitionis 18. V. Quoque in 6. Joan. Andr. in c. cit. V. Prohibemus*, aliisque Interpp. ac DD. magnò numero congestis

indubitatè tradunt duo Barbosa, Petrus *in l. Tertia 34. ff. Solutio marim. n. 37. Augustinus in c. cit. n. 7. Farinacius cit. q. 186. à n. 153. & Thom. del Bene de Immunit. & Jurisdic. Eccles. cap. 16. dub. 22. n. 12.* prout in terminis traditur *c. Ut inquisitionis & §. cit. Verbis, Ne ipsi domini & Officiales temporales de hoc crimine quoquò modò cognoscant vel judicent, Constitut. Julii III. quæ incipit Licet, edità 1551. & Constitut. Gregorii XIV. quæ incipit Quia aliàs, edità 28. Maji 1591. ibi, De crimine hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertinet, neque Curia secularis se quoquò modò intromittat.* Ratio est; quia ex una, hæresis crimen merè Ecclesiasticum est, §. *Prohibemus cit.* cum Catholicæ & supernaturali Fidei Divinisque revelationibus adversetur: de eoque ex Divinis literis, & secundum sacros Canones sit pronuntiandum: ex altera verò parte, de rebus Ecclesiasticis, spiritualibus ac supernaturalibus, sive principaliter sive incidenter in judicium deducitis, cognoscere ac pronuntiare non Secularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis, *c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judiciis c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. Lator 7. Qui filij sint legit. c. Si judex 12. ibi, Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de Sent. excommunicat. in 6.* Confirmatur; quia de hæresi mota quæstio Facti à Juris quæstione ferè nequit separari; cum de eo, qui prolatorum verborum hæreticorum insimulatur, an ea ex scientia vel ignorantia, ex malitia vel simplicitate prolata, an cum pertinacia conjuncta: verbò, an talia sint, quæ ad hæresin pœnis Ecclesiasticis obnoxiam à sacris Canonibus exiguntur, sit investigandum, ut rectè advertit *cit. Petr. Barbosa n. 38.* Unde

Infertur, Magistratibus Secularibus fas non esse, exanimare justitiam causæ & processus ab Inquisitoribus & Episcopis institutos

institutos adversus Hæreticos: sed in hos condemnatos ac sibi traditos debitâ animadversione absque dilatione, hoc est, intra quinque vel sex dies, sub pœna excommunicationis latae sententiæ procedendum, §. *Prohibemus cit.* junctâ Glossâ V. *Percussum, & Constitutione Innocentii IV. & VIII. cit.* à Farinacio q. cit. n. 162. Iisdem iudicibus Ecclesiasticis in iis, quæ Inquisitionis officium spectant, & præsertim in incarceratione & custodia reorum brachium suum implorantibus Seculares iudices auxilium & favorem præstare tenentur: & si renuant, eandem censuram incurrunt, c. *Ut inquisitionis cit. V. Ueque de hæresi, & §. fin.* Farinac. l. cit. n. 164.

38. Esti verò de hæreseos crimine judicialiter cognoscere Principes cæterique Magistratus seculares nequeant, de ea tamen diffamatos aut suspectos capere & incarcerare, iudicium Ecclesiasticorum examini remittendos, non prohibentur: imò laudabiliter possunt, Clarus §. *Hæresis, n. 2. & cit.* Farinac. n. 158. Valida etiam, imò laudabilia sunt eorundem Principum ac Magistratuum Secularium statuta, quibus à locorum Ordinariis vel Inquisitoribus adversus hæreticos instituti processus promoventur, vel augentur & exasperantur pœnæ, hæreticis à saceris Canonibus inflictæ, Decianus *cit. cap. 25, n. 2. & Farinac. n. 157.*

ARTICULUS V.

De Hæreticorum Pœnis Spiritualibus.

SUMMARIUM.

40. *Parva pœna Jure constituta sunt in hæreticos.*

41. *Qui hæresin prodiderant acti ex-ternò,*
 42. *I. Est Excommunicatio reservata, lata in ipsos,*
 43. *Eis credentes, receptatores, defensores, fautores:*
 44. *Et horum aliquem in loco sacro tumulantes:*
 45. *Qui tamen vitandi non sunt ante excommunicationis denuntiationem.*
 46. *Excommunicatio etiam non incurritur per hæresin materialez*
 47. *Nec per formalem non proditam signò externò,*
 48. *Eoque graviter peccaminosò,*
 49. *Et positò animò hæresin asserendâ.*
 50. *Ab ea censura in Germania absolvunt Episcopi,*
 51. *Et ex privilegio aliquando Regulares.*
 52. *II. Privatio sepultura Ecclesiastica.*
 53. *III. Inhabilitas ad Ordines,*
 54. *IV. Et ad dignitates, beneficia & officia:*
 55. *Que serè perseverat in hæretico respiciente.*
 56. *V. Privatio illorum legitime obtentorum:*
 57. *Quæ ipsò Jure amittuntur.*
 58. *VI. Inhabilitas filiorum ac nepotum ad eadem,*
 59. *Quandiu parentes non respiciunt.*
 60. *Quæ etiam Germani affici in Romana:*
 61. *Non etiam in Germania Cuius Episcopalis censentur.*

Arcendam, exterminandamque pravitatem hæreticam, præter alia salubriter constituta, decretæ in hæreticos sunt varietæque gravissimæ: nec Spirituales duntaxat, sed Temporales quoque & Corporales

porales pœnæ; ut eorum severitate metuque fideles ab erroneis dogmatis abstrahantur, aut tanquam perniciofa germina è Christiana Republica radicitus extirpentur. Ubi nonnulli

41. Dubium movent, quomodo hæretici ab Ecclesia possint puniri. Dubitandi ratio est; quia, ut supra n. 1. dictum, Hæresis est error, ac proinde actus intellectus internus: ad quem Ecclesiæ legislativa & exterior potestas se non extendit, *can. Cogitationis 14. disp. 1. de Pœnit. c. Sicut 33. & c. Tua nos 34. de Simonia.*

Sed ratio hæc solummodo præcedit de hæresi purè Mentali sive merè interna; quam propterea censuris aliisque pœnis in Hæreticis latis non obnoxiam, ejusque absolutionem non reservatam, censent Guttierrez *Can. Q. Q. Lib. 1. cap. 13. n. 28.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 8. n. 3.* & Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 40. n. 5.* non de ea, quæ manifestatur verbis aliisque signis externis, de se malis, & hæresin internam sufficienter exprimentibus, ad eamque exprimentam positus vel prolatis, ut cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 56.* & aliis latè declarant *cit. Sanchez à n. 7. & Suarez de Fide, disp. 21. s. 2. à n. 9.*

Neque refert; quòd signum externum sit occultum, & in judicio nequeat legitime probari; quia verba, scriptura & cætera signa, quibus interna hæresis exterius proditur, ex natura sua cognoscibilia sunt & judicio Ecclesiæ subiecta: per accidens autem est; quòd hic & nunc sint occulta; ideòque, licet plecti nequeant pœnâ, requirente accusationem judiciale, puniri tamen possunt pœnâ, inflictâ ab ipsâ lege seu Canone, *vg. excommunicatione*, quæ accusationem & judiciale hominis sententiam non requirit, ut ex communissima *TT. & Cano-*

nistarum sententia *citt. Sanchez n. 6. & Barbosa n. 10.* observant.

Pœnarum autem Spiritualium in 42. Hæreticos constitutarum

Prima est Excommunicationis major, ipsò Jure lata, *c. Cum Christus 7. c. Sicut 8. c. Ad abolendam 9. cc. Excommunicamus 13. & 15. Utrobique pr. hæc Rubr. & c. Noverit 49. d. Sent. excommunicat. & Papæ absolutioni reservata Bullæ Cœnæ can. 1.*

Eadem, quâ ipsi Hæretici, Jure lata 43. reservatæque excommunicationis censurâ etiam afficiuntur Imprimis eorum Credentes, *c. Excommunicamus 13. cit. §. Credentes, & can. 1. cit.* hoc est, eorum erroribus, sive in particulari sive in communi, externò tamen signò assentientes; quia tales revera hæretici sunt; & propterea non necessitatis, sed declarationis tantum & omnis dubitationis tollendæ gratiâ, *c. & can. cit.* sunt expressi, *citt. Navarrus n. 55. & Sanchez cap. 10. n. 2.* Deinde, eorum Receptatores, *c. Sicut 8. §. Credentes, & can. 1. cit.* hoc est, hæreticis ob causam hæresis fugientibus sèque occultantibus alicubi hospitium præbentes, *citt. Sanchez n. 10. Fautores §. & can. cit.* hoc est, illos quòd modò, ne capiantur vel puniantur, aut etiam, cum teneantur, non indicantes, capientes vel punientes, Sanchez *cap. cit. n. 11. & Palao Tract. 4. disp. 3. p. 5. n. 6.* Demum Defensores, *§. & can. cit.* hoc est, quòd modò, vi, dolò, muneribus, calamò &c. ut tutò vivant, sive in, sive extra judicium protegentes, *citt. Sanchez n. 18. & Palao n. 5.*

Eandem censuram etiam contrahunt, 44. hæreticorum eorumque credentium, receptatorum, defensorum, aut fautorum corpora sepelientes, *c. Quicumque 2. pr. in 6.* quam tamen istorum excommunicationem, etsi latæ sententiæ ipsa quoque sit,

que sit, ab eaque absolutio ante corporum exhumationem obtineri nequeat, Papae tamen non esse reservatam, docent Navarrus *Lib. 5. Consil. 11. n. 6.* apud Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 55.*

45. Dubium est, an Hæretici eorumque Credeat, Fautores &c. sint vitandi. Antiquò perinde, ut ceteros excommunicatos, si censura illa occulta, secretò: si notoria & publica esset, publicè fuisse vitandos, res est explorata. Recentiore autem Jure eos, postquam hæretici, etiam sine censuræ mentione, denunciati sunt, Guttierrez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 1. n. 42.* & Suarez *disp. 9. de Censur. s. 2. n. 10.* imò etiam, si non denunciati sint, vitandos, Sotus *in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. post concl. 3.* defendit; quòd hæreseos crimini excommunicationem annexam Jure notorium; ac proinde hæretici excommunicatio satis sit denunciata. Sed melius, ex tali declaratione eum necdum vitandum, cum Navarro *de Orat. Miscell. 47. n. 2.* sustinet *cit.* Sanchez *cap. 7. n. 4.* quòd, vigore *Extravag. Ad evitanda* à Martino V. in Concilio Constantensi editæ, nemo vitare teneatur excommunicatum, nisi censura à judice contra personam denunciata fuerit specialiter & expressè: quod non contingit solà denuntiatione criminis, excommunicationem Jure annexam habentis; cum, hanc illi Jure annexam, multi ignorent, etiam ex illis, qui sciunt, multas pœnas in hæreticos Jure constitutas. Unde *cit.* Sanchez nec illum ex obligatione vitandum censet, quem pœnas in hæreticos latas incurrisse, generatim fuisse promulgatum.

46. Porro, ut excommunicationem ob hæresin quis incurrat, quatuor conditiones à DD. requiruntur.

Prima est; ut sit hæreticus formalis: non merè materialis sive; ut à Ca-

tholica Fide alienum dogma amplectatur & tueatur scienter ac pertinaciter: non ex ignorantia etiam culpabili & animo parato ad id deferendum, si verè Fidei contrarium esse intelligat; cum enim iste verè hæreticus non sit, utique censurâ in hæreticos latâ non afficietur. Unde rufficanos aliòsque homines simplices, Lutheranae vel Calvinianæ sectæ in Germania nostra addictos, ab eaque, si errorem agnoscant, recedere paratos excommunicationis censurâ ligari, meritò negant Laiman. *Lib. 2. Tract. 1. cap. 14. n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 16.*

47. Secundò; ut hæresin animo conceptam verbis aliòsve signis externis, ad hæresin sufficienter manifestandam aptis, prodât; quia hæresis merè interna excommunicationi aliòsque fori Ecclesiæ externi pœnis obnoxia non est, *can. Cogitationis 14. dist. 1. de Penit. & c. Tuos 34. de Simonia.* Unde, hæreticum merè internum à sacerdote simplici ad confessiones audiendas expositò absolvi posse, censent *cit.* Sanchez *cap. 8. n. 3.* & Laiman. *cap. 14. n. 1.*

48. Tertia; ut externa actio, per quam hæresis interna proditur, sit mortaliter peccaminosa; quia excommunicatio & similes pœnæ graves non imponuntur, nisi propter peccatum mortale externum. Unde ab eo, qui ab Orthodoxa Fide alienum judicium consilii vel instructionis causâ manifestat, censuram illam contrahi, negant iidem Sanchez *n. 7.* & Laiman. *n. 3.*

49. Quarta, ut actus externus ponatur aut omittatur animò hæresin asserendi vel profitendi: sicut fieret, si hæresin animò fovens audiret hæreticam concionem, die Veneris velceretur carnibus, die Dominico omitteret Sacrum, aut Venerabili Sacramento ullam reverentiam non exhiberet: non etiam, si hæreticum errorem nar-

rem narrandò referret, aut legeret ex libro. Ratio est; quia, cum actus externus, qui aliò, quàm hæresin exprimendi vel profitendi, animò ponitur vel omittitur, hæresis peccatum non sit, etiam censuræ in hæreticos latæ obnoxius non erit, *cist.* Laiman, n. 3. & Pirrhing n. 19.

50. Quantumvis autem hæreticorum, eis credentium &c. excommunicatio *can. 1. cit.* reservata sit, ab ea tamen & ab ipsa hæresi, quando occulta & ad forum contentiosum deducta non est, absolvendi facultas Episcopis, & verisimilius aliis Prælati, jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentibus, concessa est à Synodo Tridentina *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* cujus tenor est, *Idem & in hæresis crimine in eodem conscientia foro eis, Episcopis, sit permisum.* Huic decreto opponi solent Bullæ Coenæ, §. *Ceterum verba, ut nullus possit absolvi prætextu quorumcumque privilegiorum, qua Episcopis, conventibus & aliis concessa sint per sedem Apostolicam:* quibus, an hæreticos in foro conscientia absolvendi facultas revocata vel intacta sit, controversia & magna dissensio est inter utramque partem æquò rationum pondere militantem. De qua quidquid sit, in Germania nostra propter casuum frequentiam & Papam adeundi difficultatem Lutheranos, Calvinianos & similes hæreticos (non Hæresiarchas vel Relapsos) cum ad Ecclesiæ gremium se recipiunt ab hæresi; non solum occultos, sed etiam notorios & publicos Episcopi per se vel per delegatos passim absolvunt, teste Laiman. *de Jurisdic. Ord. n. 72. & cit. Pirrhing n. 42.* saltem vigore facultatum, quæ eis à sede Apostolica ad quinquennium concedi solent.

51. Eisdem vi privilegij Apostolici, à Julio III. 22. Octob. 1552. concessi, &

à Gregorio XIII. 28. Martij 1584. renovati & confirmati ab hæresi, eaque contractis censuris (extra Hispaniam & Italiam juxta declarationem Clementis VIII. 16. Novemb. 1592. redditam) in Foro conscientia absolvere per se vel per alios à se delegatos potest Societatis JESU Præpositus Generalis, & ab isto communicata facultate, & hanc aliis communicandi potestate Provinciales, ut in Compendio Privileg. *V. Absolutio, §. 7.* refertur.

52. Secunda hæreticorum, eis credentium, fautorum &c. poena est Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, *c. Sicut 8. & c. Quicumque 2. pr. in 6.* quib⁹ locis latæ sententiæ excommunicationi subjiciuntur, qui hæreticum &c. saltem nominatim & publicè denuntiatum, sacræ sepulturæ tradere præsumperint: eisque ante præstitam congruam satisfactionem & temerè sepulcorum exhumationem à censura illa absolutio denegatur, Navarrus *ad hanc Rubr. Consil. 12. n. 6.* & Pirrhing n. 55. Qua de re actum est *Lib. 3. tit. 28. n. 17.*

53. Tertia eorundem poena est Irregularitas sive inhabilitas ad Ordines suscipiendos, vel in susceptis sine dispensatione ministrandum, etiam si ab hæresi sint absoluti, *can. Saluberrimum 1. q. 7. c. Quicumque 2. §. Hæretici & c. Statutum 15. hanc Rubr. in 6.* quam etiam contrahunt hæreticorum, credentium &c. filii, saltem post ipsorum in hæresin lapsi nati, & nepotes per paternam, & filii quoque per maternam lineam descendentes, §. *Hæretici & c. Statutum cist.* Hos tamen imò & ipsorum parentes, quando istorum hæresis occulta est, irregularitate ista non affici, aut saltem in ea dispensari ab Episcopis posse, valde probabiliter existimat Henriquez *Lib. 14. cap. 4. n. 6.* & alii relati à Farinacio *Prax. Grimmat.*

Criminal. q. 192. n. 79. & Barbosa in Trident. Sess. 24. cap. 6. de Ref. n. 54. tum; quod S. Synodus, in irregularitatibus, ortis ex delicto occulto, dispensandi facultatem Episcopis concedens, excipiat unicam ortam ex homicidio voluntario; ac proinde ipsis aperte firmet potestatem in aliis omnibus, ex hæresi etiam orta, dispensandi, arg. l. Quæstium 12. §. 43. V. Deniqueff. de Fundo instrumto: tum verò; quod irregularitas ista Jure statuta non sit propter hæresin secundum se: sed propter infamiam ipsi annexam, ac cessantem casu, quod hæresis est occulta. Quæ fortè ratio est, cur hæreticorum filii, dummodo ipsi probi sint, pro irregularibus non habeantur in quibusdam partibus Septentrionalibus & ab hæresi conversi & absoluti ad sacros Ordines ab Episcopis consueverint admitti, ut advertit Laiman, Lib. 1. Tract. §. p. 5. cap. 4. n. 12. in fine, & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 47. Qua de re sermo redibit n. 58.

54. Quarta eorundem hæreticorum cre-
dentium &c. poena est Inhabilitas ad di-
gnitates, beneficia Ecclesiastica, & ad of-
ficia publica obtinenda, c. Quicumque
cit. §. Hæresici, c. Statutum 15. pr. in 6.
Unde beneficii collatio hæretico facta in-
valida, ex eaque percepti fructus cum im-
plo beneficio restitutioni, ante omnem
sententiam faciendæ, obnoxii sunt; quod
injustè & sine titulo sint percepti, San-
chez Lib. 2. Moral. cap. 26. n. 2. Garcias
p. 11. de Benef. cap. 10. n. 72. & Farina-
cius q. 189. n. 71. Ubi

55. Dubium est, an ea inhabilitas, re-
lictà vel ejuratà hæresi, perseveret. Qua
in re pugnant sunt sententiæ DD. Mi-
hi arridet distinctio tradita à Palao Tract.
& disp. 4. p. 5. n. 2. discrimen statuente
inter hæresin publicam & occultam; cum,
licet publicà inducta irregularitas & in

hac fundata beneficiorum & officiorum
Ecclesiasticorum incapacitas, donec in il-
la dispensatum fuerit, perseveret: veri-
similius tamen occultà hæresi irregulari-
tas & ex ista proveniens ad beneficia in-
habilitas non inducatur; ac proinde non
impediat collationis beneficii valorem,
factæ resipiscenti.

56. Quinta eorundem poena est Priva-
tio dignitatum, beneficiorum & officio-
rum, ante lapsum in hæresin legitime
obtentorum; quæ prodita est c. Ad ab-
bolendam 9. verbis, *Omni officio & bene-
ficio spoliatus Ecclesiasticò secularis relin-
quitur arbitrio potestatis &c. Ut com-
missi 12. in 6.* ubi hæretici, eorum cre-
dentes, receptatores, defensores ac fau-
tores privandi, vel privati nuntiandi af-
feruntur dignitatibus & aliis beneficiis
Ecclesiasticis. Unde

57. Dubium oritur, an beneficia ritè
obtentà & possessa in hæresin lapsus amit-
tat ipsò Jure. Illis privandum per sen-
tentiam; non ipsò jure privatum, volunt
Castro Lib. 2. de Heret. punit. cap. 40.
Gomez in Reg. de Annali possess. q. 52.
& Valquez 1. 2. disp. 172. cap. 2. n. 11.
eà ducti ratione; quod in dubio, an pri-
vatio per sententiam infligenda, aut à
Jure inflicta sit, benignior sive ea inter-
pretatio præferenda sit, quæ per senten-
tiam infligendæ privationis poenam sta-
tutam, ait, arg. Reg. In panis 49. in 6.
relata autem c. Ad abolendam & c. Ut
commissi cit. verba planè dubia sint: &
de privatione, per sententiam judicis
condemnatoriam inducenda, intelligi
possint.

58. Sed Jus, etiamsi ambiguum esset,
de privatione Jure lata exaudiendum, do-
cet ejus optima interpret consuetudo;
cùm Apostolicæ Curie praxi seu stylo,
hæreticorum beneficia ab ipso lapsu in
hæresin vacantia censeantur; ut à quovis
impetra-

impetrari valeant; & à criminoso resignari amplius non possint: cujus testes sunt Sanchez *cit. cap. 26. n. 6.* Suarez de *Fide disp. 21. f. 5. n. 17.* & Farinac. *q. 185. n. 77.* Unde DD. isti, hæreticos beneficiis, antè legitimè obtentis, ipsò Jure privatos, censent cum Covarr. *Lib. 2. Var. cap. 8. n. 4.* Gonzalez in *Reg. 8. gloss. 25. n. 65.* Garcia *cap. 10. cit. n. 60.* & Flaminio *Lib. 3. de Resignat. q. 1. n. 31.* & aliis, suam hanc Opinionem desumentibus ex relato textu *e. Ad abolendam cit.* cujus verbò *Spoliatus* denotari, ajunt, sententiæ privationis à Jure latæ executionem. Ne autem huic suo sensui obstant *e. Ut commissi cit.* verba, *Privandi vel privati nuntiandi*, distinctionem vel non disjunctivè: sed expositivè sive declarativè accipiunt; ut sensus sit, *Privandi, id est, privati nuntiandi* seu declarandi sunt; quòd, licet sententiæ Jure latæ & hæreticæ labis contrariò factò dignitatum & beneficiorum legitimè obtentorum & possessorum privationem incurrant, ea tamen ante sententiam criminis declaratoriam dimittere, & fructus post privationem perceptos antè restituere non teneantur, *arg. e. Cum secundum: q. in 6. cit.* Sanchez *n. 7.* Suarez *cit. f. 2. in fine* & Farinac. *n. 80.*

59. Sexta est inhabilitas filiorum ac nepotum per paternam: & filiorum per maternam lineam descendentium & post parentum in hæresin lapsum (non ante hunc) ex legitimo thoro natorum, imò etiam illegitimorum ad eadem beneficia & officia; ut, licet ista, ante parentum in hæresin lapsum legitimè obtenta, verisimilius non amittant, Panormit. *in v. Vergentis 10. n. 4.* Clarus *§. Hæresis, n. 14.* & Farinac. *q. 191. n. 58.* post hanc tamen ad ea & pensiones Ecclesiasticas obtinendas inhabiles: & si quæ obtinuerint, iis tanquam illegitimè obtentis, pri-

vandi sint, *e. Quicumque cit. §. Hæretici & c. Statutum 15. in 6.* quòd textu proditum est discrimen inter hæreticos parentes & eorum liberos; cum, licet parentum Ecclesiæ jam reconciliatorum irregularitas, in eaque fundata ad Ordines & beneficia inhabilitas perseveret, donec cum ipis fuerit dispensatum: filiorum tamen irregularitas ipsâ parentum reconciliatione tollatur; ut ad Ordines & beneficia promoveri valeant sine dispensatione, Molina *Tract. 2. de 1. & I. disp. 658.* & Sanchez *cit. Lib. 2. cap. 37. n. 6.* Nisi parentes essent hæretici relapsi; horum enim filii ad beneficia inhabiles manent instar parentum; quòd isti etiam respicientes pro Ecclesiæ reincorporatis non habeantur, Glossa *in c. cit. V. Reincorporatos, ubi Francus n. 4. in fine,* & Farinac. *q. cit. n. 65.*

Dubium est, an hæreticorum filii ac nepotes irregulares, atque idcirco ad beneficia Ecclesiastica obtinenda inhabiles sint in Germania nostra. Id non ita pridem evincere magnò molimine conatus vir doctus fuit, & omnino evincere visa est Praxis Curie Apostolicæ, ejusmodi filios ac nepotes undecunque orjundos ad beneficia non admittentis, nisi præviâ dispensatione in irregularitate, parentum hæresi contracta, teste Corrado *Prax. dispens. Apostol. Lib. 3. cap. 4. d. n. 2.* Eâ tamen non obstante, Germaniæ nostræ DD. plerorumque sententia facta constans eos à dicta irregularitate, & ad beneficia obtinenda inhabilitate absolvit. Consentiunt, imò ei opiniononi facem præterunt Saa *V. Hæresis n. 4.* Henriquez *Lib. 14. cap. 5. n. 4.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 27. n. 28.* Bonacina *disp. 7. de Irregularit. q. 3. p. 7. n. 9.* Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 19. §. 2. n. 7.* & Gibalinus eam pro certa habens *cap. 5. de Irregularit. n. 13.* Rationem

tionem reddunt; quod ejusmodi filiorum ac nepotum irregularitas fundetur in Origine ac radice infecta infamia, ad beneficia Ecclesiastica obtinenda non parentes duntaxat, sed ipsos quoque inhabiles reddente. In Germania autem & Septentrionalibus provinciis aliis eorum parentes ullâ Juris aut Facti infamiâ non laborent; cum propter pacta & foedera publica: tum; quod innumerorum hæresis solummodo sit materialis & cum pertinacia non conjuncta; ac proinde, cessante irregularitatis & inhabilitatis causâ, ipsa quoque cesset, *arg. c. Cum cessante 60. de Appellat. Accedit Ordinariorum dicecesanorum, ejusmodi filios ac nepotes ad Ordines ac beneficia sine difficultate & prævia dispensatione admittentium, praxis Juri prævalens in locis, in quibus ei adversatur, c. fin. de Consuetudine § l. De quibus 32. in fine, ff. de LL.*

Neque, ut contraria sit, Romana Germaniæ Curiarum praxi adversatur; quia illa, sicut hæreticorum filiis ac nepotibus beneficia non confert, nisi prævia dispensatione, sic absque ista in Germania factas collationes non rejicit vel damnat; cum non ita pridem in hæresi defunctæ parentis filio de Canonicatu Cathedrali prævia dispensatione providerit, quin hanc exegerit, ut de eo provisus à Germaniæ Ecclesiarum unius Episcopo & alterius Capitulo antè sine dispensatione obtenta beneficia licitè retineret. Cujus ratio ulterior est partim; quod, cum ea, quæ cum hæreticis in Germania inita sunt pacta publica, Apostolica auctoritate firmata & approbata nunquam fuerint, filiorum Catholicorum parentes hæretici pro infamibus in Romana Curia habeantur: partim verò; quod Juri, hæreticorum filios ac nepotes ad obtinenda beneficia inhabiles reddent, contraria

Germaniæ consuetudo extra ejus fines & Romam usque non porrigatur.

ARTICULUS VI.

De Pœnis eorundem Temporalibus.

SUMMARIUM.

62. Tales pena locum ferè non habent in Germania.
63. Sunt autem I. Infamia:
64. Quam hæreticorum liberi Catholicici non contrahunt.
65. II. Instabilitas activa & passiva.
66. III. Confiscatio omnium bonorum:
67. IV. Amisso patria potestatis in liberos.
68. V. Liberatio Vasallorum, Servorum &c. ab obligationibus.
69. Cum hæreticis non facillè paciscendum:
70. Servanda tamen sunt pacta publica, cum ipsis inita.
71. VI. Traditio curiæ Seculari:
72. A qua capitalis supplicii plecti possunt.

Spiritualibus hæreticorum pœnis adjectæ utroque Jure sunt complures, & propter criminis publicè perniciosissimi atrocitatem, severissimæ animadversiones temporales; quarum tamen hodie usus ferè non est in plerisque provinciis Septentrionalibus & Germania etiam nostra: in qua Lutherani, & Calviniani hæretici non solum tolerantur: sed propter inita cum ipsis foedera publica & Pacem, ut vocant, Religiosam, omnibus juribus & immunitatibus Civilibus cum Catholicis pacificè gaudent. *Laiman, Lib. 2. tract. 1. cap. 16. n. 4. v. 6. &*

8. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 83.*
 63. Hujusmodi autem poenarum, in hæreticos, eis credentes, receptores, defensores & fautores constitutarum,

Prima est infamia, *Aurb. Gazaros C. de Hæreticis, c. Excommunicamus 13. §. Credentes, hâc Rubr. & can. Infamos 6. q. 1.* quæ, licet ipsò Jure contrahatur, hæreticum tamen ante sententiam criminis declaratoriam actum non afficit; ut ab honoribus ac dignitatibus secularibus repellat, *Azor p. 1. Instit. Lib. 8. cap. 13. q. 8. §. Septima, & Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 26. n. 1.* moventes casu, quò hæreseos crimen per evidentiam facti notorium est, contrahi infamiam Facti, quæ, hæreticò poenitente & respiciente, aboletur.

64. Dubium est, de eorum filiis ac nepotibus per paternam, & de filiis per maternam lineam descendentibus; hos enim etiam infamiâ notatis accensent *Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 8. n. 1, Castro de Punit. hæretic. Lib. 2. cap. 9. & Molina Tom. 3. de I. & I. disp. 658. n. 25.* Moventur geminâ ratione. Una est; quòd infamiâ laborent filii reorum læsæ Majestatis humanæ, *l. Quisquis 5. C. ad L. Jul. Majest. à quibus ad hæreseos, Divinæ Majestatis læsæ criminis, reos argumentum legitime duci, cum Saliceto in Aurb. Gazaros cit. in fine & Igneo in 1. Nesebario 5. §. 2. ff. ad SC. Syllan. n. 44.* monet Decianus *Tract. Criminal. Lib. 5. cap. 26. n. 7.* Altera; quòd ipsorum ad beneficia obtinenda inhabilitas sive irregularitas aliunde, quàm ex eorum infamia non possit provenire.

Sed merito eos ab infamia absolvunt *Menoch. Vol. 9. Consil. 808. n. 44. Suarez de Censuris disp. 48. f. 3. n. 2. & Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 38. n. 5.* quòd hæc eis ullò Juris textu imposita non reperitur; &, si aliquò irrogata esset,

eos à testimonio dicendo removeret, *cc. Licet 9. de Probat. & 47. de Test. & at-testi, quòd tamen nec receptum Praxi, neque Jure aliquò est expressum.*

Neque ad eos argumentum rectè ducitur à liberis reorum læsæ Majestatis humanæ; quia illi locus tantum est in iis, in quibus æquiparatio expressa Jure, & fundata non est in sola similitudine rationis: ex qua sola extensionem poenalis lex non admittit, ut *arg. Reg. Odis 15. in 6. ex opposita sententiæ assertoribus tradunt Castro Lib. 2. de Lege Penali cap. 7. docum. 3. & Molina Tract. 2. disp. 176. n. 51.*

Neque ex inhabilitate illa necessariò infertur infamia liberorum; cum illam causet infecta radix & ex Juris dispositione secum trahat enormitas delicti & infamia paterna, ad eum ferè modum, quòd ex paterna fornicatione irregulares, & ad beneficia obtinenda inhabiles liberi nascuntur.

65. Secunda, hujusmodi eorundem poena est intestabilitas, tam activa quàm passiva; ut neque testamentum condere, neque hæredes institui possint, *l. Manicheos 4. §. 2. & 5. C. de Hæreticis & §. Credentes cit.* Quòd, licet ita sit, testamentum tamen ab ipsis ante sententiam criminis declaratoriam conditum perinde, ut ante factam honorum alienationem obnoxium quidem revocationi: at non ipsò Jure nullum esse, ex *§. Credentes cit. verbis, Sit intestabilis, desumunt cit. Sanchez cap. 24. n. 3. & Farinac. Prax. Criminal. q. 196. n. 89.* simili modò ad hæreditatis aut legati sibi relicti restitutionem, hæredibus ab intestato venientibus, aut filco faciendam, hæredes & legatarios non teneri, cum *Imola in c. Quia ingredientibus 2. de Testament. n. 44. & Lessio Lib. 2. de I. & I. cap. 19. n. 52.* verisimiliter censet *cit. Sanchez cap. 14. n. 31.*

- n. 31. Contrarium tamen, aliis DD. relatis, sustinet *cit.* Farinac. q. 190. à n. 192.
66. Tertia, confiscatio omnium bonorum, *Auth. Gazaros cit. c. Vergentis 10. & c. Excommunicamus 13. §. cit. & §. Dammati*: quorum textuum prioribus ratio redditur; quòd multò gravius sit æternam, quàm temporalem (cujus violatæ confiscatio pœna est, *l. Quisquis §. pr. C. ad L. Jul. Majest.*) lædere Majestatem. Quæ etiam pœna, licet ipsò Jure & Factò incurratur, *c. Cum secundum 19. pr. in 6.* sententiã tamen hæresis declaratoriã opus est, antequam ejus reo bonorũ possessio auferatur, *c. cit. V. Confiscationis*, Francus *in V. cit. not. 1. & 2.* Sanchez *cit. cap. 26. n. 12.* & Farinac. q. 190. §. 1. n. 5. Ea tamen sententiã retrahitur ad ipsum commissi, & in actum externum prodeuntis delicti diem; ut alienationibus, quæ postea factæ sunt, rescissis, in alios translata bona cum fructibus perceptis fisco sint restituenda, *cit.* Sanchez *cap. 22. n. 33.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 61.* quantumvis ea criminis declaratio facta, imò accusatio primùm inchoata sit post hæretici mortem, *c. Accusatus §. §. In eo, in 6.* Francus *in §. cit. Barbola ibid. n. 30.* & Farinac. §. *cit. n. 9.*
67. Quarta, amissio patriæ potestatis in liberos; ut hi à die criminis commissi ante omnem sententiã sui juris efficiantur, *c. Quicumque cit. §. fin.* Ut proinde hæreticus pater filios suos emancipare, eisque impuberibus pupillariter substituere, amplius non possit, *Glossa in §. cit. V. Deserint, cit. Sanchez cap. 24. n. 6.* & Pirrhing *n. 79.*
68. Quinta, liberatio vasallorum, servorum aliorumque ab omnibus etiam juratis obligationibus; ut hæreticis fidelitatem, obedientiam & alia obsequia præstare, eisque debita solvere, saltem

post sententiã criminis declaratoriã, non teneantur, *c. fin. ubi Glossa V. Absolutos, Panormit. à n. 1. & Pirrhing n. 8.* Unde

Dubium oritur, an ergo fides hæreticis servanda non sit. Id certè præter *a. cit.* suadet ratio; quòd, cum fidem terrenam frangenti eadem servanda non sit, *l. Qui fidem 16. ff. de Transact. c. Sicut 29. §. fin. de Jurejurando & Reg. Frustra 75. in 6.* multò minùs servanda sit hæretico; violanti fidem Divinam; sic enim Hussio datam, & à Concilio Constantiensi violatam fidem publicam, nostris temporis Sectarij passim jactant & queruntur.

At, esto cum ipsis pacificendum facile non sit, pacta tamen publica cum ipsis inita, quoties res promissa ex se licita & possibilis est, inviolabiliter custodienda & observanda, rectè docet Becanus *de Fide cap. 16. q. 1. n. 8.* juxta *l. 1. ff. c. 1. & c. Qualiter 3. de Pactis*, quibus textibus ista generatim, & *l. Postliminii §. 3. ff. de Captivis & can. Noli 23. q. 1.* ubi in specie hostibus data ad ejusmodi pacta servanda obligat Veracitas, Fidelitas & Justitia: quarum Virtutum prima nihil promittendum, nisi ad quod nos obligandi & præstandi animum habemus: altera id, quod promissum est, præstandum; postrema jus suum cuique tribuendum dicunt: donec, ex promissione ortam obligationem à promissario remissam, vel à legitima potestate relaxatam, constet.

Neque aliud evincitur ex *c. fin. cit.* quia, licet in provinciis, in quibus Jure in hæreticos constitutæ pœnæ rigore observantur, saltem post sententiã criminis declaratoriã, sicut cæteræ, sic etiam fidei à privatis datæ obligatio, tanquam judicis & ipsius Juris autoritate rela-

re relaxata, cesset, servanda tamen illis est fides data publicâ authoritate, Menoch. *Consil.* 106. à n. 226. & Farinac. *cit.* q. 197. n. 26. & in Germania nostra etiam privata; quia in ista hæretici sunt tolerati, & ob pacem ac fœdera publica, omnibus juribus atque immunitatibus Civilibus cum Catholicis pacificè gaudent, *cit.* Laiman *Lib.* 2. *traç.* 1. *cap.* 16. n. 4. & Pirthing n. 83.

Neque majorem vim habet ratio; quia solummodo probat fidem Hæreticis non servandam, quoad Divina & spectantia Religionem: non autem quoad pacta publica: quæ cum Gentibus & Idololâtris inita observari, exigit Jus Gentium, docent sacræ Pagina, Josue *cap.* 9 *V.* 18. 2. *Reg.* *cap.* 21. *v.* 6. *Ec.* & Historia, ex quibus violatæ fidei ultorem Deum fuisse, constat.

Neque violata à Concilio Constantiensis fides est Hussio, cum; quia hæc à Concilio ei nunquam fuit data: ab Imperatore autem Salvus conductus ei concessus tantum fuit secundum Jus commune: quod munitum ab ea tantum violentia, quæ contra Jus infertur, qualem Hussius, utpote Hæreseos convictus, passus non est, securum reddi, ex Acatolicis JCT. is Mynsinger *Cent.* 1. *observat.* 82. & Everard, Speckhan. *Q. Q. Juris*, ejusdem sententiæ Autores plures allegans, alique docent: tum verò; quia Hussius prior violavit, quæ scripto pactus erat cum Imperatore: & contra ejus prohibitionem, sub pœna capitali factam, arripuit fugam, à qua retractus, & Hæresin abjurare pertinaciter renuens, obnoxium se reddidit pœnis Hæreticorum, l. *Quicumque* 8. *C. de Hæreticis*, ut eruditè offendit Becanus *cit.* *cap.* 16. *q.* 6. *totâ* & præsertim à n. 7.

¶ Demum Hæretici, si, insuper habitis relatis aliisque pœnis, errores suos ab-

jurare pertinaciter noluerint, aut in eos abjuratos relapsi spontè non redierint, curiæ Seculari, præmissâ, si Clerici fuerint, degradatione, sunt tradendi, c. *Ad abolendam* *cit.* c. *Excommunicamus* 15. *pr. hæc Rubr.* & c. 1. in 6. Clarus §. *Hæresis*, n. 7. & Menoch. *de Arbitr. Judic. casu* 374. n. 1. & Farinac. *Prax. Criminal.* q. 189. §. 2. n. 11. Ubi

Dubium aliqui movent, an hæretici pertinaces plesti possint pœnâ Capitali. Negârunt id ex VV. Donatistæ, teste S. Augustino *Epist.* 50. & ex RR. Hæreticis Hussius, ut patet ex Concilio Constant. *Sess.* 15. *art.* 14. eâ potissimum freti ratione; quod sit contra morem Ecclesiæ primitivæ: à qua cædes & vincula aliena fuisse, testis est S. Athanasius *Apolog.* 2. & contra ipsam doctrinam servatoris, Zizania cum tritico usque ad messem crescere permittit volentis, Matth. *cap.* 13. *V.* 30.

Sed meritò, eos capitali supplicio affici posse, alii pro re omnino explorata habent cum Covarruvia *Lib.* 2. *Var. cap.* 4. n. 10. Bellarmino *Lib.* 3. *de Laicis*, *cap.* 21. & 22. & Suarez *de Fide*, *disp.* 20. *f.* 3. n. 18. non solum propter textus *cit.* & Concilium Calcedonense, cujus *Act.* 1. Episcopus Alexandrinus, *Si Eutyches*, inquit, *præter dogmata Ecclesiæ sapiat, non solum pœnâ dignus est, sed & igne*: sed etiam propter sanctiones Imperiales, quibus in Hæreticos, post alias minores, tandem exilii & ultimi supplicii pœna constituta fuit, l. *Manicheos* 4. §. 4. l. *Ariani* 5. l. *Quicumque* 8. *Ec. C. de Hæret.* Ratio est; quia hæresis est crimen valde enorme, utpote quod non solum Fidem, Justitiæ Christianæ principium & omnis virtutis ac meriti supernaturalis radicem, tollit: sed insuper plus, quam ulla alia flagitia, adversatur felicitati Regnorum ac Reipublicarum: in quæ, ubi pedem infert, excitatis seditionibus ac tumultibus

Q 1 pacem &

pacem & tranquillitatem publicam perturbat: ut luculenter demonstrant clades, quibus proximè exactis duobus seculis, plerasque & florentissimas Europæ provincias devastavit, ut latè ostendit Ribadaneira *Lib. 1. de Princip. Christi. à cap. 27.*

Neque obstat mos Ecclesiæ primitivæ; hæc enim in Hæreticos tam severè non animadvertit; quòd propter multitudinem ac potentiam infidelium, eò tempore dominantium, & fidelium paucitatem viribus destitueretur.

Neque etiam Parabola Zizaniorum; cum ista extirpari Evangelium paterfamilias vetuerit; ne simul eradicaretur & triticum, illa extirpandi potestatem utique facturum, si absque tritici periculo

possent. Unde, sicut Hæreticos tolerare docemur, quando eorum persecutio majora mala allatura prævidetur, ut in partibus nostris Septentrionalibus accidit, sic in eos animadvertere non prohibemur, cum sine Catholicorum detrimento possunt extirpari, juxta illud Apostoli, *Aut certe malum ex vobis*, 1. Corinth. *cap. 5. v. 13.* quòd Ecclesiastica spiritualis; Secularis autem potestas corporalis mortis poenam infligendò implet; ne sine causa gladium portare existimetur, contra ejusdem S. Doctoris Gentium sententiam, Roman. *cap. 13. v. 4.* Castro de Punit. *Hæret. cap. 5. v. 12. & 14.* Victoria *Relett. de Indis disp. 1. n. 8.* Becanus *cit. cap. 15. q. 6. n. 15.* & Gonzalez *in c. Ad abolendam cit. n. 14.*



TITVLVS VIII.

De Schismaticis & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1. Schismatis etymon ac definitio,
2. Ejus differentia ab Hæresi,
3. Et à Seditioe.
4. Segregat ab Ecclesia capite vel membris,
5. Non contrahitur solâ excommunicatione:
6. Neque solo recessu ab obedientia Episcopi:
7. Neque solùm agendò contra mandatum Papæ,
8. Vel, eum temporalem dominum non agnoscendò.
9. Schismatici sunt excommunicati,
10. Inhabiles ad beneficia,

11. Infames ac irregulares,
12. Privati jurisdictione Ecclesiastica,
13. Et à collatione Ordinum suspensi.

Hæreticis affines, & Hæretici etiam frequenter sunt Schismatici & Apostatæ; ac proinde illis, sicut propinquitate aut societate criminum, sic explicationis ordine conjungendi.

Schisma, à quo Schismatici, si nominis etymon, Scissura, *can. Schisma. 24. q. 1.* si natura spectetur, est Divisio sive discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenus hæc est corpus mysticum ex universis fidelibus tanquam membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans, S. Thomas 2. 2.

q. 39. art.